



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 3. An licet aliquando fidem exteriùs tantùm negare ad vitandam  
mortem, & dira supplicia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

*erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.*

*Q 3. An licet aliquando fidem exterius tantum negare ad vitandam mortem, & dira supplicia?*

*Resp. Nunquam licet. Prob. 1. ex Mat. 10. Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. 2. Ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ id ut gravissimum crimen semper habuit; & Hellesetas ut hæreticos damnavit, quòd dicerent id licere, modò fides in corde retineretur; & gravissimis pœnis mulctabat eos, qui in persecutionibus fidem Christi negabant tantum exterius ad mortem acerbissimam vitandam. 3. Illa negatio exterior est mendacium perniciosum in re gravissima; & gravem injuriam Deo infert exterius protestando eum non esse, summè veracem. Item dedecus est Domini, quòd servus dedignetur eum pro Domino fateri, & eo ipso negat ei cultum debitum.*

*Hinc Catholicus à quovis interrogatus de sua Religione peccaret graviter contra fidem 1. Negando se esse Christianum, vel Catholicum; quia negaret se veram Christi fidem tenere. 2. Respondendo se esse Turcam, vel Judæum aut Gentilem; quia hoc ipso negaret se esse Christianum. 3.*

*Di.*

Dicendo se non esse Papistam, vel se esse Calvinistam, Lutheranum, &c. Quia hoc ipso negaret se esse Catholicum, quod est veram Christi fidem negare. At Sacerdos, vel Religiosus, rogatus num sit Sacerdos, vel Religiosus, peccaret quidem negando se esse, quia mentiretur; non tamen negaret fidem, quia non negaret se esse Catholicum, cum multi Laici Sæculares sint Catholici.

Q. 4. *An licet aliquando falsam Religionem simulare verbis, aut factis?*

Resp. Nunquam licet; nec proinde exercere actiones, quæ ex se, vel ex lege, vel ex communi usu sunt professio exterior falsæ Religionis: ut genuflexio, vel thurificatio coram Idolo, oratio ad Mahometem, &c. Quamvis fiant simulatè, & ad vitandam di-  
ram mortem. Prob. 1. ex perpetuo sensu, & usu Ecclesiæ, quæ semper abhorruit à ritibus externis infidelium, & quæ tam graviter punivit eos, qui simulatè solùm Idola adorabant; vel libellum à Magistratu infideli accipiebant, quo significaretur quamvis falsò, ipsos satisfecisse edicto sacrificandi Idolis. 2. Quia sicut eodem præcepto affirmativo Fide præcipitur veræ Fidei internus assensus, & externa Confessio: sic eodem præcepto negativo prohibetur falsæ Fidei internus assensus, & externa

terna